


XVII. Jahresbericht

des

k. k. Stiftsgymnasiums


der

Benediktiner in St. Paul

(Kärnten)

über das Schuljahr 1901/1902.

Inhalt:



St. Paul 1902.

Im Selbstverlage des k. k. Stiftsgymnasiums.

HAUSERITNE SENECA

IN DIALOGO SECUNDO E CICERONIS DE FINIBUS TERTIO ET TUSCULANARUM DISPUTATIONUM QUINTO LIBRO

QUÆRIT

DR ADAM HEFTER.

His libris in quaestione solvenda usus sum.

1. L. Annæi Senecæ opera. ed. *Fr. Haase,* Lipsiæ 1872.
2. M. T. Ciceronis de finibus l. V. ed. *Nic. Madvigius,* Hauniæ 1839.
3. M. T. Ciceronis de finibus l. V. von *Hugo Holstein,* Leipzig 1873.
4. M. T. Ciceronis Tusc. disp. l. V. ed. *Raph. Kühner,* Ienæ 1853.
5. M. T. Ciceronis Tusc. disp. l. V. von *Otto Heine,* 4. Aufl., Leipzig 1896.
6. *Kühner:* Ciceronis de philosophia merita. Hamburgi 1825.
7. *C. M. Bernhardt:* de Cicerone, Græcæ philosophiæ interprete, Prgr. Berlin 1865.
8. *Carolus Crome:* Quid Græcis Cicero in philosophia, quid sibi debuerit, quæritur. Prgr. Düsseldorf 1855.
9. *Benno Linderbauer:* de verborum mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione. Prgr. Metten 1892/93.
10. *Ed. Zeller:* Die Philosophie der Griechen. III. Theil, 1. Abtheilung, 3. Aufl., Leipzig 1880.
11. *Rudolf Hirzel:* Untersuchungen zu Ciceros philosoph. Schriften. I., II., III., Leipzig 1877, 1882, 1883.
12. *Rudolf Hirzel:* Der Dialog. I., II., Leipzig 1895.
13. *Holzherr:* Der Philosoph Seneca. I., Rastatt 1858.
14. *W. Ribbeck:* Seneca, der Philosoph und sein Verhältnis zu Epicur, Plato und dem Christenthum. Hannover 1887.
15. *Eduard Norden:* Die antike Kunstprosa. Leipzig 1898.
16. *Birt:* Das antike Buchwesen. Berlin 1882.
17. *Ern. Iul. Werner:* de Senecæ philosophia dissertatio. Vratislaviæ 1825.

Tractationis pars prior.

Inquirendum nobis erit in hac tractationis parte, quæ et Seneca in dialogo secundo et Cicero in Tusculanarum quinto et de finibus tertio libris congruentia aut similia protulerint. Exponemus igitur primum singulorum librorum summam, deinde, quæ similia inveniantur demonstrabimus locosque colligemus.

I.

a) **Summa dialogi secundi** (de constantia sapientis).

c. I. Laudat Seneca Stoicos, quippequi non ut ceteri philosophi molliter et blande agant sed virilem ingrediantur viam, quæ initio quidem aspera § 2. sed modo plana fiat. c. II. M. Catorem cum exemplar ponit, nullum hominem sapientem nec iniuriam nec contumeliam accipere posse ostendit. c. III. Tentare quidem multos sapienti iniuriam facere, § 4. attamen melioris esse naturæ, si illi nullius iniuria et contumelia noceat, quam si nulla fiat. § 5. Eum enim sicut adamanta esse, qui nec cædi nec deteri possit, sed incurrentia ultro retundat. c. IV. Illum iniuriam in se tentatam non admittere, § 2. feriri quidem, non lædi, cum iniuriis contumeliisque intactus et impenetrabilis sit. c. V. Dividit deinde quæstionem in duas partes, cum secernat iniuriam a contumelia et neque iniuriam neque contumeliam ad sapientem pervenire neget. Prima parte agitur de iniuria. § 3. Iniuria est alicuius mali patientia, sapiens autem nullius mali est patiens eaque de causa nulla ad sapientem iniuria pertinet. § 4. Iniuria est deminutio aliqua et detrimentum, sapiens autem, cum omnia in se reposita habeat, nihil perdere potest. § 6. Adfert Seneca Stilbonis philosophi exemplum, quo sapientem extra iniuriam et fortunæ ludibria positum esse docemur, ne in publica quidem clade quidquam perdere sed omnia secum portare. c. VII. Docet deinde Seneca sapientem iniuria lædi non posse. Validius enim debet esse quod lædit eo, quod læditur, neque vero nequitia fortior est virtute, sapiens igitur lædi non potest. § 3. Quam dubitationem faciunt dicentes Socratem iniuriam accepisse, eam Seneca ita refellit, ut dicat inimicos quidem iniuriam ei intulisse sed illa non affectum esse. § 4. Profert deinde quædam similia. c. VIII. Neque quisquam est, qui aut iniuriam facere ant prodesse sapienti possit. § 2. Sapiens enim vicinus proximusque dis consistit, excepta

mortalitate dei similis est et non habet unde accipiat iniuriam, ne a fortuna quidem. c. IX. Quæcumque patitur iudicat quasi forte accidentia nec in spem nec in metum vivere scit § 3 et omni perturbatione iraque caret, quo fit, ut semper erectus lætusque sit et continuo gaudio elatus. § 4. Quo dicto concludit primam quæstionis partem, adhortatus ad hoc propositum æquis animis et auribus tenendum c. X. Tota altera parte agitur de contumelia, quam iniuriā minorem § 3. et a sapiente alienam esse dicit. Sapiens enim contumeliam contemnit, cum aut transcurrat eam aut risu dignam putet. c. XI. Qui faciunt contumelias eos sapiens non pluris æstimat ac pueros et homines recti ignaros, quorum cum contumeliam ut iocos accipit, pulcherrimam virtutem, magnanimitatem exercet, ut contumelia ad eum non pertineat. Nemo nisi vir superbus, quem quidem sapiens spernit, contumelias infert § 2. et nemo se maiorem melioremque spernit. c. XII. Maximus vero optimusque est sapiens, ut recte sperni non possit nec pluris æstimet contumeliam facientes ac pueros et recti ignaros, § 3. quorum contumelias ut iocos accipit et quos interdum castigat et compescit, non quod malum acceperit ab iis sed quod fecerint et ut desinant facere. c. XIII. Neque tamen irascitur sapiens sed qualem adfectum adversus ægros medicus, talem adversus omnes habet, et quo animo honores nihilo æstimat, § 3. eodem parum honorifice facta. Sapiens enim omnes homines insanire scit præter sapientem § 5. sicque ad proprium bonum, quæ est securitas, pervenit. c. XIV. Neque mulier neque servus sapienti contumelias inferre possunt, nam non factas esse pronuntiabit. c. XV. Iam quidem de iniuria et contumelia loquitur et § 3. quæcumque, inquit, aspera sunt et toleratu gravia audituque et visu refugienda, eorum coetu non obruetur sapiens et qualis singulis, talis universis obsistet; § 4. a qua sententia ne Epicurus quidem multum abhorret cum dicit: Raro sapienti intervenit fortuna. c. XVI. Nec est quod dicatur hoc naturæ repuguare, quippecum Stoici § 2. verberari et impelli et aliquo membro carere rem commodam esse non dicant sed omnia ista iniurias esse negent c. XVII. Nonnullis denique exemplis ostenditur, quam levia pleraque sint, quibus homines offendi se putent. § 3. Contumeliæ aliorum præoccupandæ et nostra vitia a nobismet ipsis irridenda. c. XVIII. Caligulam deinde exemplum ponit, quo demonstretur aliquando ultorem iniuriarum et contumeliarum evadere. c. XIX. Concludit quæstionem remediis adversus iniurias et calumnias prolatis et § 4. invictum aliquid esse, inveniri aliquem, in quem nihil fortuna possit, ut semper bene teneamus animo, nos admonet.

b) Summa libri tertii de finibus.

c. I. In huius libri prooemio comparat Cicero Stoicorum philosophiam cum Epicureorum et dicit multo difficilius esse de Stoicorum philosophia loqui, § 3. quia eorum disserendi genus subtile sit vel spinosum potius idque magis Latine loquentibus, quibus etiam verba parienda sint imponendaque nova nomina novis rebus. c. II. Alias etiam artes uti solere suis et propriis

verbis, quo magis philosopho hoc faciendum esse. § 5. Et si Græcorum philosophi de rebus non pervagatis inusitatis verbis uti potuerint, quanto id magis in lingua Latina concedendum esse? Tenendum esse linquam Latinam non modo non inopem sed locupletiorem etiam esse quam Græcam. § 6. Deinde exponit Cicero, quæ fuerit sibi causa dicendi de summo Stoicorum bono. § 7. Cum M. Catone in villa Luculli se aliquando convenisse eumque statim sermonem instituisse de Stoicorum philosophia. c. III. Catonem enim ægre tulisse, quod ipse ad Academicorum partes staret et dixisse Ciceronis si cuisquam esse, nihil præter virtutem in bonis habere. § 11. Omnes enim ceteras philosophorum disciplinas praeter Stoicorum nullo modo adiuvare homines, quo meliores fiant, sed ipsam depravare naturam. c. IV. Sed cum ipse dixisset, Stoicos in Pyrrhonis et Aristonis vitia incidere, § 12. ut rerum selectionem et ipsam virtutem tollerent, Catonem, ut Ciceronem non recte iudicare ostenderet, § 15. totam Zenonis Stoicorumque sententiam explicare incepisse. c. V. Ea explicatio huius modi est. Omne animal, simul atque natum est, se conservare studet et suum statum eaque, quæ conservantia eius status sunt diligit, alienatur autem ab interitu iisque rebus, quæ interitum videntur afferre. § 17. In principiis autem naturalibus voluptas non est ponenda, sunt ponendæ integritas corporis eiusque partium, rerum cognitiones, § 18. artes. c. VI. Aestimabile est id, quod aut ipsum secundum naturam est aut tale quid efficit, inæstimabile, quod est huic contrarium. Illud est eligendum, hoc reiciendum. Primum est officium, ut nos conservemus in naturæ statu, deinceps ut ea teneamus, quæ secundum naturam sint pellamusque contraria. § 21. Qua in selectione ipsa quasi inest et incipitur intellegi, quid sit, quod vere bonum possit dici. Summum vero bonum est honestum, quod solum vi sua et dignitate expetendum est; eorum autem, quæ sunt prima naturæ, propter se nihil est expetendum. c. VII. Ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareat, sic appetitio animi non ad quodvis genus vivendi sed ad quandam formam vivendi videtur data, itemque et ratio § 24. ut ad perfectam rationem, quæ sapientia et virtus est, perveniatur. § 25. Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et iustitiam et ut omnia, quae homini accidant, infra se esse iudicet. Tenere autem virtutes nemo poterit, nisi statuerit, nihil esse quod intersit aut differat aliud ab alio præter honesta et turpia. Itaque sapientes omnes semper beati sunt. c. VIII. Quod honestum sit, id esse solum bonum Stoicorum rationibus sic concluditur: 1. Quod est bonum, omne laudabile est; quod autem laudabile, omne est honestum; bonum igitur, quod est, honestum est. § 28. 2. De sola beata vita potest quis gloriari. Gloriatione autem digna esse potest sola honesta vita. Ita fit, ut honesta vita beata vita sit. c. IX. Reiectis variis philosophorum sententiis hoc verum proponitur. § 31. Summum bonum est convenienter congruenterque naturæ vivere, quod est, earum rerum, quæ natura eveniunt, scientiam adhibere, quæ secundum naturam sunt eligere et quæ contra naturam repudiare. § 32. Actiones autem honestæ ipsa susceptione non effectu laudabiles sunt. c. X. Ex Diogenis

sententia est bonum, quod est natura absolutum. Cum enim ab iis rebus, quae sunt secundum naturam animus ascendit collatione rationis, tum ad notionem boni pervenit. § 34. Hoc autem bonum neque accessione aut crescendo aut cum ceteris comparando sed propria vi sua appellatur bonum. § 35. Pertarbationibus, quæ sunt opiniones et iudicia levitatis sapiens semper vacabit. c. XI. Honesta expetenda sunt per se ipsa et eodem modo turpia per se fugienda. § 37. Quod facillime intellegitur ex communi iudicio hominum et sensu in eorum actionibus apparente. c. XII. Brevis deinde a proposita oratione fit digressio ex Ciceronis persona de vitii nomine. § 41. Cato ostendit quanta sit differentia inter Stoicorum et Peripateticorum summam doctrinæ. Maior inter Stoicos et Peripateticos est rerum discrepantia quam verborum, nam Peripatetici omnia, quæ ipsi bona appellant, pertinere dicunt ad beate vivendum, Stoici non ex omni, quod æstimatione aliqua digna sit, vitam beatam compleri putant. c. XIII. Cum Peripatetici dolorem in malis habeant, § 43. corporis commodis compleri vitam beatam putent, § 44. valetudinem æstimatione dignam iudicent, eorum sententia alium alio beatiorem esse et ex eorum ratione effici non posse, ut sapiens semper beatus sit. c. XIV. Stoici, cum omnis rerum corporearum æstimatio splendore virtutis et magnitudine obscuretur et obruatur, crescere beatam vitam negant. Recta igitur effectio et convenientia, denique ipsum bonum crescendi accessionem nullam habet § 46. ideoque nec magis expetenda beata vita, si est diuturna, quam si brevis. Peripatetici inter vitia et virtutes differentiam quandam interesse putant, Stoicis alium alio sapientiorem esse non posse § 48. itemque alium alio non magis peccare vel recte facere placet. c. XV. Sed quamquam nec virtutes nec vitia crescunt, tamen utrumque eorum funditur quodam modo et dilatatur. § 49. Sequitur deinde Diogenis de vitiis digressio cum toto orationis contextu parum connexa. Censet Diogenes eas esse non solum duces ad voluptatem et ad valetudinem bonam sed has etiam continere; nullam autem artem ant virtutem divitiis contineri posse. § 50. Deinde explicatur differentia rerum. Quamvis ad beate misereve vivendum nihil valeat præter solum bonum, quod honestum et malum solum, quod turpe est, tamen inter ceteras res debet esse differentia quædam, ut sint alia æstimabilia, alia contra, alia neutrum. § 51. Hinc est illud exortum, quod Zeno προηγμένον et quod contra ἀποπροηγμένον nominavit. c. XVI. προηγμένα in hac linqua præposita vel præcipua nominantur, reiecto ἀποπροηγμένα dicuntur. § 53. Quæ Zeno ἀδιάφορα dicit, optime in linqua Latina indifferentia vocantur. Sequitur bonorum divisio. § 55. Bonorum sunt alia ad finem ultimum pertinentia sic enim appellantur, quæ τελικά dicuntur, alia efficientia, et pertinens autem et efficiens sapientia est. c. XVII. Quæ autem præposita dicuntur partim sunt per seipsa præposita, partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque. § 57. De bona autem fama Stoici dissentiunt. Nam Chrysippus quidem et Diogenes detracta utilitate ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicunt, quibus Cato vehementer assentitur. § 58. Officium nec in bonis ponitur nec in malis; est autem officium id, quod ita

factum est, ut eius facti probabilis ratio reddi possit. c. XVIII. Sunt officia alia perfecta, quæ semper, alia media, quæ certis in casibus exsequenda sunt. Perfectum officium redditur sola iusta actione. Eorum, quæ media dicimus, aliud sumendum aliud reiciendum est. § 60. Ab his omnia proficiscuntur officia, his mediis etiam manendi in vita et migrandi ratio metienda est. In quo enim homine plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere, in quo autem sunt plura contraria aut fore videntur, huius officium est e vita excedere, § 61. ut interdum sapientis sit officium excedere e vita, cum sit beatissimus, et stulti manere in vita, cum sit miser, dummodo pluribus naturalibus frui possit. c. XIX. Natura fit, ut liberi a parentibus amentur; a quo initio profecta est humani generis societas et naturalis ista commendatio, ut homo ab homine ob idipsum, quod homo sit, non alienus habeatur. § 64. Mundus est quasi communis urbs et civitas hominum deorumque et unusquisque nostrum est mundi pars, ex quo consequitur, ut communem utilitatem nostræ anteponamus. c. XX. Homines ad coniunctionem congregationemque et ad naturalem communitatem sunt nati. Iustitia et amor sunt vincula societatis humanæ. His rebus consentaneum est, ut sapiens gerere et administrare rempublicam, uxorem sibi adiungere, procreare ex ea liberos velit. c. XXI. Sed ad conservandam societatem humanam emolumenta et detrimenta non solum communia esse, verum etiam paria, incommoda autem et commoda communia quidem sed paria non esse intellegi necesse est. § 70. Amicitia æque ac iustitia ceteræque virtutes per se non utilitatis causa expetenda. § 72. Virtutibus etiam physica et dialectica adnumerantur, nam sine arte dialectica homines a vero abducuntur fallique possunt, c. XXII. sine arte autem physica, quæ est explicatio naturæ, ceteræ virtutes intellegi non possunt. § 74. His rebus expositis laudat Cato Stoicorum philosophiam et quam magnifica sit persona sapientis, ostendit.

c) Summa libri quinti Tusculanarum.

c. I. Cicero alloquitur Brutum dicens quæstionem, num virtus ad beate vivendum se ipsa sit contenta, difficile esse probatu et, quod gravius magnificentiusque dicatur, nihil esse in philosophia; § 2. profecto permotos spe cognoscendi condiciones ad beate vivendum homines philosophari incepisse. § 3. Sola imbecillitate nostra et fragilitate fieri, ut de tali virtutis vi dubitemus. c. II. Cuius imbecillitatis correctionem a philosophia petendam esse, quæ vitæ dux, virtutis indagatrix expultrixque vitiorum sit. § 6. Quod vero homines non bene noscant, quam antiqua sit meritaque de genere humano, minus ei studere. c. III. Sed ipsam esse antiquissimam, nomen vero recens, § 9. a Pythagora inventum, qui primum philosophum se nominaverit. c. IV. Pythagoram autem non solum inventorem nominis sed rerum etiam amplificatorem fuisse. Socratem vero primum de vita et moribus rebusque bonis et malis in philosophia quæsivisse. § 11. Cuius doctrina complura genera effe-

cisse dissentientium philosophorum, e quibus Ciceronem eam potissimum doctrinam amplexum esse, qua usus esset Socrates ipse et quam Carneades acutissime copiosissimeque tenuisset. c. V. Quibus rebus præmissis quæritur, utrum virtus satis valeat ad beate vivendum necne. § 13. Reicitur, qua insufficiens, id argumentum, quo demonstratur virtutem homines beatos reddere, cum faciat vitam honestam et fortem et ita beatam. § 14. Et beatam vitam hominem non relicturam sed una cum virtutibus eum comitaturam esse ad tortorem et supplicium. c. VI. Sed ad hanc quæstionem responsum est iam in ceteris libris, in quibus demonstratum est § 16. sapientem nihil metuere, nihil concupiscere, nulla impotenti lætitia efferri, nulla animi iactatione incitari atque ita effici beatum. e. VII. Sed quamquam sapientem omni animi perturbatione vacare superioribus iam disputationibus effectum est, § 19. tamen in philosophia propriis et suis argumentis et admonitionibus omnis res, tanta præsertim, tractanda est. c. VIII. Cicero antequam rem aggreditur, quæstionem movet, § 23. num ii philosophi, qui virtutem non unicum bonum existiment, virtutem ipsam per se posse beatam vitam efficere recte dicant. c. IX. Negat hoc et utitur Theophrasto teste, qui consequenter quidem dixisset, vitam hominis regi magis fortuna quam sapientia. § 26. Etiam Epicurum, qui dolorem non solum maximum sed solum malum declarasset, minus consequenter posse etiam in maximis doloribus sapientem beatum dicere. c. X. Sed si paupertas, contumelia, dolores nominentur mala, non posse dici, omnibus his malis obnoxium esse beatum. § 30. Quibus de causis Peripateticos et Epicureos non recte hoc dicere. c. XI. Illud, quod ipse non consequenter dicat, cum nunc quidem Peripateticis hoc ius abneget, aliis vero locis dixerit, inter illorum doctrinam nihil interesse præter verborum novitatem, § 33. reprehendit ex persona Academici. c. XII. Inde Cicero quæstionem ipsam aggreditur; testem quidem advocat Platonem, qui iam ante Zenorem docuerit, virtutem esse solum bonum. c. XIII. Sed compluribus Stoicorum argumentis, partim ex natura hominis § 39. partim ex virtutis c. XIV. et beatitudinis notione sumptis, virtutem solum bonum posse nominari probare conatur. c. XV. Sapientem se contentum, inexpugnabilem, sæptum, nullo metu præditum, omnia parva ducentem iisque rebus beatum esse. c. XVI, XVII, XVIII. At si res externæ in bonis habeantur, etiam minimis rebus nomen boni concedendum esse et, ne his privetur, sapienti semper timendum. c. XIX—XXIII. Exemplis deinde prolatis et comparatis Lælio cum Cinna § 56. Catulo cum Mario § 57. Dionyso cum Archyta, explicat et demonstrat, quam vera sint, quæ paulo ante exposuerit. § 66. Ad extremum profert firmissimum et gravissimum Stoicorum argumentum: Quæ pars optima sit in quavis re creata, in ea situm esse necesse est optimum. § 67. In homine autem nihil mente est melius. Eo igitur bono fruendum est, si beati esse volumus, bonum autem mentis est virtus; ergo hac beatam vitam contineri necesse est. c. XXIV. Quibus argumentis conclusis exponit Cicero quam beatus sit sapiens occupatus in philosophia. § 70. Hinc exsistere illam cognitionem, ut ipsa se mens agnoscat coniunctamque cum

divina mente se sentiat. c. XXV. hinc illam cognitionem virtutis, hinc efflorescere genera partesque virtutum, inveniri quid sit, quod natura spectet extremum in bonis, quod in malis ultimum, quo referenda sint officia, qua degendæ ætatis ratio eligenda. c. XXVI—XXVIII. Dubitationem autem maxime contra Stoicorum doctrinam allatam, quod dolor sapientem miserum reddere possit, tollit Cicero partim § 73. adhibita auctoritate Epicuri, qui ex sua ipsius etiam persona hanc dubitationem expulerit, § 77. partim exemplis propositis, quibus homines etiam rudes artium dolorem superare posse demonstratur; § 80, quare etiam in iis, qui tria genera bonorum esse putent, tenendum esse, non posse unquam esse sapientem non beatum. c. XXIX—XXXIII. Quoniam sic responsum est ad quæsita, libri prima pars est conclusa. § 83. In altera parte declarare conatur, omnes philosophos, quæcumque eorum sententia sit de finibus, recte dicere, virtutem satis præsidii ad beatam vitam habere. Disponit igitur varia philosophorum dissentientium genera et paucis ostendit § 85. Peripateticos et Academicos non immerito hoc dicere, cum doceant, virtutem externa et corporis bona longe superare. § 88. Deinde ad Epicureos se convertit, quibus parce viventibus neque mors neque dolor horribilis sit. § 89. Deinde profert exempla. c. XXXIV—XXXVIII. Secundum Epicuri doctrinam cupiditates aliæ sunt naturales et necessariæ, aliæ naturales et non necessariæ, aliæ neutrum. § 103. Paupertas, ignobilitas, popularis offensio, exilium, sapientem beatum esse non prohibebunt. c. XXXIX—XL. Etiam si sensibus oculorum, si aurium caret atque si omnia in unum congeruntur, ut § 110. idem oculis et § 116. auribus captus sit aut prematur etiam doloribus acerrimis corporis, sapiens tamen beatus esse potest. § 117. Sin forte dolores longinquitate producti vehementius torquent, portus præsto est, quoniam quidem mors est æternum nihil sentiendi receptaculum. c. XLI. Si vero Epicurei ipsi. § 119. qui, quamquam virtutem non propter se ipsam expetendam putant, dicunt tamen sapientem semper esse beatum, multo magis hoc Stoicis, Platonicis, Peripateticis concedendum esse constat.

II.

Exposita singulorum librorum summa, quæ similia inveniantur, demonstrandum nobis est colligendi que loci.

Addemus etiam locos ex epistolis et aliis Senecæ scriptis.

Imprimis illud, quod Stoicorum doctrinæ fundamentum est, sapientem totum in se repositum et nihil præter virtutem bonum esse existimandum persæpe reperitur:[1]

Sen. d. II. 5, 4. s. „[Sapiens] omnia in se reposuit, nihil fortunæ credit, bona in solido habet, contentus virtute, quæ fortuitis non indiget ideoque

[1] doctrina omnibus Stoicis communis cf. Zeller, III. 1. p. 208, 213.

nec augeri nec minui potest. Nam et in summum perducta incrementi non habet locum et nihil eripit fortuna nisi quod dedit. Virtutem autem non dat ideo nec detrahit. Libera est, inviolabilis, immota, inconcussa. Sic contra casus indurat, ut ne declinari quidem nedum vinci possit. Adversus apparatus terribilium rectos oculos tenet, nihil ex voltu mutat, sive illi dura sive secunda ostentantur, itaque nihil perdet, quod perire sensurus sit. Unius enim in possessione virtutis est, ex qua depelli nunquam potest, ceteris precario utitur."

Sen. d. II. 5, 6. „Inde illud Stilbonis: Omnia mea mecum sunt."

Sen. ep. 74, 1. „Quidni tu, mi Lucili, maximum putes instrumentum beatæ vitæ hanc persuasionem, unum bonum esse, quod honestum est? Nam qui alia bona iudicat, in fortunæ venit potestatem, alieni arbitrii fit: qui omne bonum honesto circumscripsit intra se felix est."

Cic. Tusc. V. 14, 41—43.: „Volumus enim eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, sæptum ... Atque hæc certe non ita se haberent, nisi omne bonum in honestate consisteret..... Quis autem poterit esse celsus et erectus et ea, quæ homini accidere possunt, omnia parva ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia in se posita censebit?"

Cic. d. f. III. 7, 24. „Sola enim sapientia in se tota conversa est, quod idem in ceteris artibus non fit."

Cic. d. f. III. 7, 25. „Sapientia enim et animi magnitudinem complectitur et iustitiam et ut omnia, quæ homini accidant, infra se esse iudicet." cf. Sen. d. II. 6, 3. Ci. d. f. III. 8, 29.

Inde sequitur sapientem infra se omnia humana ducere et non solum mala et dolores non ægre ferre sed etiam contemnere et pro nihilo habere, cum in se malum incidere non posse non ignoret, quo fit, ut sapiens adversus omnia, quæ cadere in hominem possunt, constans sit:[1]

Sen. d. II. 2, 3: „Tutus est sapiens nec ulla adfici iniuria aut contumelia potest."

Sen. d. II. 3, 5: „Non refert, quam multa in illum coiciantur tela, cum sit nulli penetrabilis; quomodo quorundam lapidum inexpugnabilis ferro duritia est, nec secari adamas aut cædi vel deteri potest, sed incurrentia ultro retundit. Quemadmodum quædam non possunt igne consumi, sed flamma circumfusa rigorem suum habitumque conservant, quemadmodum proiecti quidam in altum scopuli mare frangunt nec ipsi ulla sævitiæ vestigia tot verberati sæculis ostentant: ita sapientis animus solidus est et id roboris colligit, ut tam tutus sit ab iniuria, quam illa, quæ retuli."

Sen. d. II. 6, 3: „Sapiens adtollit se supra humana, dolores, damna, ulcerationes, volnera, magnos motus rerum circa se frementium securus adspicit et dura placide fert et secunda moderate nec illis cedens nec his fretus, unus idemque inter diverva est, nec quicquam suum nisi se putat esse."

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 215.

Sen. d. II. 15, 3: „Quare et aspera et quæcumque toleratu gravia sunt audituque et visu refugienda — non obruetur (sapiens) eorum cœtu et qualis singulis, talis universis obsistet.“

Ci. d. f. III. 8, 29: „Quo posito et omnium assensu approbato illud assumitur, eum, qui magno sit animo atque forti, omnia, quæ cadere in hominem possint, despicere ac pro nihilo putare ... Atque iste vir altus et excellens, magno animo, vere fortis, infra se omnia humana ducens, is, inquam, quem efficere volumus, quem quærimus certe et confidere sibi debet ac suæ vitæ et actæ et consequenti et bene de sese iudicare, statuens nihil posse mali incidere sapienti.“ cf. Sen. d. II. 5, 45. ep. 66, 18. Cic. Tusc. V. 14, 42. 26, 73.

Quæ cum ita sint, habet sapiens, quod suum est, securitatem eiusque animus ab omni perturbatione liber est; qui cum nec timore occupetur nec animi concitationibus moveatur et libidinibus, semper hilaris, semper lætus ideoque beatus est:[1]

Sen. d. II. 4, 3: „Immo nescio an magis vires sapientia ostendat tranquillitatis inter lacessentia, sicut maximum argumentum est imperatoris armis viribusque pollentis tuta securitas in hostium terra.“

Sen. d. II. 9, 3: „Sapiens nescit nec in spem nec in metum vivere ... Caret autem perturbatione vir erectus. Erroribus moderatur suis altæ quietis et placidæ. Caret autem ira sapiens, quam excitat iniuriæ species ... inde tam erectus lætusque est, inde continuo gaudio elatus ... Ex hoc puta genere sapientem eorum, qui exercitatione longa ac fideli robur perpetiendi lassandique omnem inimicam vim consecuti sunt.“

Tusc. V. 15, 43: „Atque cum perturbationes animi miseriam, sedationes autem vitam efficiant beatam duplexque ratio perturbationis sit, quod ægritudo et metus in malis opinatis, in bonorum autem errore lætitiaque gestiens libidoque versetur, cum omnia ea cum consilio et ratione pugnent, his tu tam gravibus concitationibus tamque ipsis inter se dissentientibus atque distractis, quem vacuum solutum liberum videris, hunc dubitabis beatum dicere?“

Tusc. V. 16, 48: „Etenim pro deorum atque hominum fidem! parumne cognitum est superioribus nostris disputationibus an delectationis et otii consumendi causa locuti sumus sapientem ab omni concitatione animi, quam perturbationem voco, semper vacare, semper in animo eius esse placidissimam pacem? Vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine ægritudine, sine alacritate ulla, sine libidine nonne beatus? At semper sapiens talis, semper igitur beatus.“

Cic. d. f. III. 10, 35: „Nec vero perturbationes animorum, quæ vitam insipientium miseram acerbamque reddunt, quas Græci πάθη appellant ...: sit igitur perturbatio, quæ nomine ipso vitiosa declarari videtur [nec eæ perturbationes vi aliqua naturali moventur] omnesque eæ sunt genere quattuor, partibus plures, ægritudo, formido, libido quamque Stoici communi nomine

[1] doctrina Stoica: Zeller, p. 225, p. 234 ann. 1.

corporis et animi ἡδονὴν appellant, ego malo lætitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam: perturbationes autem nulla naturæ vi commoventur omniaque ea sunt opiniones ac iudicia levitatis: itaque his sapiens semper vacabit.“ cf. Tusc. V. 14, 41—43, 17, 16. Sen. ep. 59, 8.

Sen. ep. 85, 3 ss. „Adfectus sapienti non sunt mediocres sed nulli.“

De bonæ autem famæ sollicitudine minime urgetur sapiens, cum, quid de se iudicent homines, omnino neglegat et non solum honores accipere non curet, sed ne digitum quidem eius causa porrigendum censeat:[1]

Sen. d. II. 14, 4: „Non respicit [sapiens] quid homines turpe iudicent aut miserum; non it qua populus, sed ut sidera contrarium mundo iter intendunt, ita hic adversus opinionem omnium vadit.“

Sen. d. II. 19, 1: „Non est in rixam colluctationemque veniendum. Procul auferendi pedes sunt et quicquid horum ab imprudentibus fiet (fieri autem nisi ab imprudentibus non potest) neglegendum et honores iniuriæque volgi in promiscuo habendæ, nec his dolendum nec illis gaudendum.“

Ci. Tusc. V. 36, 103, 104: „Num igitur ignobilitas aut humilitas aut etiam popularis offensio sapientem beatum esse prohibebit? Vide ne plus commendatio in volgus et hæc, quæ expetitur, gloria molestiæ habeat, quam voluptatis ... Intellegendum est igitur, nec gloriam popularem ipsam per sese expetendam nec ignobilitatem extimescendam.“

Ci. d. f. III. 17, 57: „De bona autem fama, quam enim appellant εὐδοξίαν — aptius est bonam famam hoc loco appellare, quam gloriam – Chrysippus quidem et Diogenes detracta utilitate ne digitum quidem eius causa porrigendum esse dicebant, quibus ego vehementer assentior.“

Sed si quis dixerit nihilominus sapientem quoque uti solere variis rebus externis, respondebit ille, sibi quidem opus esse multis ad vivendum sed nulla re se egere, et corporis commodis vitam beatam compleri negabit:[2]

Sen. ep. 9, 13—14: „Se contentus est sapiens ad beate vivendum, non ad vivendum. Ad hoc enim multis illi rebus opus est, ad illud tantum animo sano et erecto et despiciente fortunam. Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait sapientem nulla re egere et tamen multis illi rebus opus esse. Contra stulto nulla re opus est, nulla enim re uti scit, sed omnibus eget. Sapienti et manibus et oculis et multis ad cotidianum usum necessariis opus est, eget nulla re. Egere enim necessitatis est, nihil necesse sapienti est.“

Ci. d. f. III. 13, 43: „Ne illud quidem est consentaneum ut, si, cum tria genera bonorum sint, quæ sententia est Peripateticorum, eo beatior quisque sit, quo sit corporis aut externis bonis plenior, ut hoc idem approbandum sit nobis, ut qui plura habeat ea, quæ in corpore magni æstimantur, sit beatior, Illi enim corporis commodis compleri vitam beatam putant, nostri nihil minus.“

[1] Zeller, III. 1. p. 261 ss: doctrina Stoica.
[2] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 260 ss.

Ci. Tusc. V. 16, 47: „Ea si bona ducemus, quid erit in philosophi gravitate quam in volgi opinione stultorumque turba, quod dicatur aut gravius aut grandius? ‚At enim eadem Stoici præcipua vel producta dicunt, quæ bona isti.' Dicunt illi quidem, sed iis vitam beatam compleri negant: hi autem sine iis esse nullam putant, aut, si sit beata, beatissimam certe negant."

Contemnit igitur sapiens non solum divitias et pro nihilo putat honores sed ne valetudinem quidem in bonis numerat, cum etiamsi talibus careat, tamen beatus esse possit:[1]

Sen. d. II. 13, 3: „Quemadmodum non placebit sibi, si illum mendicus coluerit, nec contumeliam iudicabit, si illi homo plebis ultimæ salutanti mutuam salutationem non reddiderit: sic ne suspiciet quidem, si illum multi divites suspexerint, scit enim illos nihil a mendicis differre, immo miseriores esse, illi enim exiquo hi multo egent."

Ci. d. f. III. 15, 49: „Itaque si voluptas aut si bona valetudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas, at, si sapientia bonum sit, non sequi, ut etiam divitias bonum esse dicamus; neque ab ulla re, quæ non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest, ob eamque causam, quia cognitiones comprehensionesque rerum, e quibus efficiuntur artes, appetitionem movent, cum divitiæ non sint in bonis, nulla ars divitiis contineri potest."

„Dies me deficiat, si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est et cotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus."

Ci. Tusc. V. 27, 76—77: „Dolorem vero sapiens extimescet? ... Dolor esse videtur acerrumus virtutis adversarius, is ardentes faces intentat, is fortitudinem, magnitudinem viri, patientiam se debilitaturum minatur. Huic igitur succumbet virtus, huic beata sapientis et constantis viri vita cedet? Quam turpe, o di boni!" cf. Sen. d. II. 6, 3. ep. 59, 8.

Ci. Tusc. V. 38, 111—115: „Ex quo effici putat ille, quod quærimus, ut sapiens semper beatus sit. ‚Etiamne si sensibus carebit oculorum, si aurium?' Etiam, nam ista ipsa contemnit."

Ci. Tusc. V. 40, 116: „In surditate vero quidnam est mali?"

Ci. d. f. III. 13, 44: „Nam qui valetudinem æstimatione aliqua dignam iudicamus neque eam tamen in bonis ponimus, iidem censemus, nullam esse tantam æstimationem, ut ea virtuti anteponatur."

Sen. d. II. 16, 2: „Non negamus rem incommodam esse verberari et impelli et aliquo membro carere, sed omnia ista negamus iniurias esse. Non sensum illis doloris detrahimus sed nomen iniuriæ, quod non potest recipi salva virtute."

Si expuleris sapientem e civitate, mæstum eius animum non facies cum patria sit sapientis ubicumque est bene:[2]

---

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 251, 261.

[2] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 298 ss.

Sen. ep. 28, 4: „Omnis mutatio loci iucunda fiet, nulli loco addicere debemus animum, cum hac persuasione vivendum est: ‚non sum uni angulo natus, patria mea totus hic mundus est‘.“

Sen. ep. 68, 2: „Sapienti est respublica ipso digna, quæ est mundus.“

Ci. Tusc. V. 37, 106—110: „Contempto igitur honore, contempta etiam pecunia, quid relinquitur, quod extimescendum sit. Exilium, credo, quod in maxumis malis ducitur. Id si propter alienam et offensam populi voluntatem malum est, quam sit ea contemnenda sapienti, paulo ante dictum est.... Iam vero exilium, si rerum naturam non ignominiam nominis quærimus, quantum tandem a perpetua peregrinatione differt... Postremo ad omnes casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quæ sequuntur in via, ut, quocumque in loco hæc suppeditetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teucri vox accommodari potest: ‚Patria est, ubicumque est bene‘.“

Etiamsi bona externa sapienti necessaria non sunt, tamen amicum habere cupit.[1]

Sen. ep. 9, 8: „Sapiens etiamsi contentus est se, tamen habere amicum vult, si nihil aliud, ut exerceat amicitiam... ut habeat aliquem, cui ipse ægroto assideat, quem ipse circumventum hostili custodia liberet.“ — „Qui se spectat et propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat.“

Ci. Tusc. V. 25, 72: „Adiunge fructum amicitiarum, in quo doctis positum est cum consilium omnis vitæ consentiens et pæne conspirans, tum summa iucunditas e cotidiano cultu atque victu.“

Ci. d. f. III. 16, 55: „De pertinentibus nihil est bonum præter amicum.“

Ci. d. f. III. 21, 70: „Amicitiam autem adhibendam esse censent, quia sit ex eo genere, quæ prosunt... Etenim nec amicitia nec iustitia esse omnino poterunt, nisi ipsæ per se expetantur.“

Omnia mala si congeras in sapientem, tamen victor discedet: nam si nimium vexatur malis, patet ei porta mortis:[2]

Ci. Tusc. V. 40, 117—119: „Portus enim præsto est, quoniam quidem mors est æternum nihil sentiendi receptaculum... Mihi quidem in vita servanda videtur illa lex, quæ in Græcorum conviviis obtinetur. ‚Aut bibat, inquit, aut abeat.‘ ... Sic iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, defugiendo relinquas.“

Sen. ep. 69, 6: „Si me quidem velis audire, hoc meditare, ut mortem et accipias et, si ita res suadebit, accersas. Interest nihil, illa ad nos veniat an ad illam nos.“

Sen. ep. 24, 11: „Mihi crede, Lucili, adeo mors timenda non est, ut beneficio eius nihil timendum sit.“

Sen. ep. 54, 7: „Illum lauda et imitare, quem non piget mori, cum iuvet vivere.“

---

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 288 ss.

[2] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 306 ss.

Sen. d. II. 8, 3: „Non habet, ubi accipiat iniuriam. Ab homine me tantum dicere putas? Ne a fortuna quidem, quæ quotiens cum virtute congressa est, nunquam par recessit. Si maximum illud, ultra quod nihil habent, iratæ leges ac sævissimi domini minitantur, in quo imperium suum Fortuna consumit, æquo placidoque animo accipimus et scimus mortem malum non esse."

Ci. d. f. III. 14, 46: „Stoicis non videtur optabilior nec magis expetenda beata vita, si sit longa quam si brevis."

Ci. d. f. III. 18, 60 s.: „In quo enim plura sunt, quæ secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere: in quo autem sunt plura contraria aut fore videntur huius officium est e vita excedere ... Et sæpe officium est sapientis desciscere a vita cum sit beatissimus, si id opportune facere possit."

Sen. ep. 70, 4—6: „Non enim vivere bonum est, sed bene vivere. Itaque sapiens vivit, quantum debet, non quantum potest ... Citius mori aut tardius ad rem non pertinet: bene mori aut male ad rem pertinet. Bene autem mori est effugere male vivendi periculum." cf. Sen. ep. 12, 10. 74, 26 ss.

Sic vincit sapiens ipsam Fortunam et recte Dei similem se profitetur.[1]

Sen. d. II. 19, 4: „Ne repugnate vestro bono et hanc spem, dum ad verum pervenistis alite in animis libentesque meliora excipite et opinione ac voto iuvate: esse aliquem in quem nihil Fortuna possit. E republica est generis humani."

Sen. d. II. 15, 4: „Vincit nos Fortuna, nisi tota vincitur."

Tusc. V. 25, 72: „Quid hæc tandem vita desiderat, quo sit beatior? Cui refertæ tot tantisque gaudiis Fortuna ipsa cedat necesse est."

Sen. ep. 53, 11, 12: „Tantum sapienti sua, quantum Deo omnis ætas patet. Est aliquid, quo sapiens antecedat deum: ille beneficio naturæ non timet, suo sapiens. Ecce res magna habere imbecillitatem hominis, securitatem Dei. Incredibilis vis philosophiæ est ad omnem fortuitam vim retundendam."

Sen. ep. 51, 8, 9: „Fortuna mecum bellum gerit: non sum imperata facturus. Iugum non recipis, immo quod maiore virtute faciendum est, excutio ... quæ sit libertas quæris? Nulli rei servire, nulli necessitati, Fortunam in æquum deducere."

Sen. d. II. 8, 2: „Sapiens autem vicinus proximusque dis consistit, excepta mortalitate similis Deo. Ad illa nitens pergensque excelsa, ordinata, intrepida, æquali et concordi cursu fluentia, secura, benigna, bono publico nata et sibi et aliis salutaria nihil humile concupiscet, nihil flebit. Qui rationi innixus per humanos casus divino incedet animo."

Ci. Tusc. V. 24, 70: „Hæc tractanti animo et noctes et dies cogitanti exsistit illa a deo Delphis præcepta cognitio, ut ipsa se mens agnoscat coniunctamque cum divina mente se sentiat, ex quo insatiabili gaudio compleatur." cf. Sen. ep. 73, 3. 53, 11. 59, 8. 73, 12—14. 93, 8, 10.

---

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 251 s.

Quibus omnibus diligenter circumspectis sapiens solus bonus, solus felix et laude dignus prædicandus est:[1]

Ci. Tusc. V. 24. 25, 68—72: „Sumatur enim nobis quidam præstans vir optimis artibus isque animo parumper et cogitatione fingatur. Primum ingenio eximio sit necesse est, tardis enim mentibus virtus non facile comitatur...

Sen. ep. 95, 4: „Sapiens ille plenus est gaudio, hilaris et placidus, inconcussus, cum dis ex pari vivit."

Ci. d. f. III. 22, 74 s.: „Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis. Qui cum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus vereque omnia ista possideat, quæ irrideri ab imperitis solent. Rectius enim appellabitur rex, quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit, rectius magister populi, is enim est dictator, quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriæ, avaritiæ, crudelitatis magister fuit, rectius dives quam Crassus, qui nisi eguisset, nunquam Euphraten nulla belli causa transire voluisset. Recte eius omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus, recte etiam pulcher appellabitur, animi enim liniamenta sunt pulchriora quam corporis: recte solus liber nec dominationi cuiusquam parens nec obœdiens cupiditati: recte invictus, cuius etiam si corpus constringatur, animo tamen inici vincula nulla possint." cf. Sen. ep. 90, 5. Ci. Tusc. V. c. II. 4 ss.

Sapientia nihil aliud est, quam secundum naturam vivere:[2]

Ci. Tusc. V. 28, 82... qui [Stoici] cum finem bonorum esse senserint, congruere naturæ cum eaque convenire. cf. Ci. d. f. III. 9, 31. 5, 17. 6, 20.

Sen. ep. 41, 8, 9: „Quæris, quid sit? [i. e. proprium hominis]. Animus et ratio in animo perfecta. Rationale enim animal est homo. Consummatur itaque eius bonum, si id implevit, cui nascitur. Quid est autem, quod ab illo ratio hæc exigat? Rem facillimam, secundum naturam vivere." cf. Sen. ep. 124, 11. 37, 4. 118, 8. d. v. b. 3, 3.

Convenientiam veluti summum bonum proponunt, quod homini petendum sit.[3]

Ci. d. f. III. 6, 21: „Ita ratione et cogitatione collegit [Zeno], ut statueret in eo positum summum illud hominis per se laudandum et expetendum bonum, quod positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam."

Sen. ep. 20, 5: „Quid est sapientia? Semper idem velle atque idem nolle."

Sen. ep. 74, 30: „Virtus enim convenientia constat." cf. Sen. ep, 35, 4.

Virtus et felicitas cum hac coniuncta non est nisi una eaque simplex.[4]

---

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 250.

[2] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 209. Werner, p. 31.

[3] Zeller, III. 1. p. 210: doctrina Stoica. Werner, p. 99.

[4] Zeller, III. 1. p. 212 s; doctrina Stoica, p. 220 ss. Werner, p. 105.

Ci. d. f. III. 3, 11: „Nam nisi hoc obtineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit, nullo modo probari possit, beatam vitam virtute effici."

Sen. ep. 71, 4: „Summum bonum est, quod honestum est. Et quod magis admireris: unum bonum est, quod honestum est."

Sen. ep. 74, 1: „Maximum putes instrumentum beatæ vitæ hanc persuasionem, unum bonum esse quod honestum est." cf. Sen. ep. 75, 6 ss. 76, 11 ss.

Omnes vero actiones non iudicandæ sunt nisi perceptione prima; ex quo facillime colligitur, virtutes omnes et vitia paria esse et omnibus actionibus honestis parem laudis, malis omnibus parem vituperationis partem tribuendam esse: Qui habet virtutem ei tota est, qui non, ei tota deest.[1] cf. Sen. d. B. VI. 11, 3.

Ci. d. f. III. 9, 32: „Verum ut hæc [vitia] non in posteris et consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt, sic ea, quæ proficiscuntur a virtute, susceptione prima, non perfectione recta sunt iudicanda."

Ci. d. f. III. 14, 48: „Consentaneum est his, quæ dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem quod appellamus extremum quod ultimum crescere putent posse, iisdem placere, esse alium alio etiam sapientiorem, itemque alium magis alio vel peccare vel recte facere. Quod nobis non licet dicere, qui crescere bonorum finem non putamus."

Sen. ep. 66, 9: „Omnis in modo est virtus. Modus certa mensura est. Quid accedere perfecto potest? Nihil, aut perfectum non erat, cui accessit: ergo ne virtuti quidem, cui si quid adici potest, defuit... ergo virtutes inter se pares sunt et opera virtutis et omnes homines, quibus illæ contigere."

Sen. ep. 79, 8: „Quicumque fuerint sapientes pares erunt et æquales."

Idem sentiunt de adiaphoris, quorum alia dicunt eligenda, alia reicienda, alia omnino neglegenda et vere media.[2]

Ci. d. f. III. 15, 51: „Itaque cum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod honestum et id malum solum, quod turpe, tum inter illa, quæ nihil valerent ad beate misereve vivendum, aliquid tamen, quod differret esse voluerunt, ut essent eorum alia æstimabilia, alia contra, alia neutrum." cf. d. f. III. 16, 55.

Sen. ep. 66, 5: „Hoc primo die quæsitum est, quomodo possint paria bona esse, si triplex eorum conditio est."

Sen. ep. 66, 36: „Ceterum bona quædam prima existimat... quædam secunda... quædam media, quæ nihilo magis secundum naturam sunt, quam contra naturam."

Sen. ep. 117, 9: „Id autem medium atque indifferens vocamus, quod tam malo contingere quam bono possit, tamquam pecunia, forma nobilitas."

---

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 244.

[2] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 214 s. Werner, p. 109.

Homo est animal sociale.[1]

Ci. d. f. III. 20, 67: „Quoniamque ea natura esset hominis, ut ei cum genere humano quasi civile ius intercederet..."

Sen. d. cl. I. 3. 2: „Non solum inter nos, qui hominem, sociale animal, communi bono genitum videri volumus."

Sapiens non recusat administrare rempublicam.[2]

Ci. d. f. III. 20, 68: „Consentaneum est huic naturæ, ut sapiens velit gerere et administrare rempublicam..."

Sen. d. tranq. an. I. 10: „Placet [inde viam] præceptorum sequi et in mediam ire rempublicam... Promptus, compositus sequor Zenona, Cleanthen, Chrysippum, quorum tamen nemo ad rempublicam accessit et nemo non misit."

Sen. d. otio 3, 2: „Zeno ait: accedet [sapiens] ad rem publicam, nisi si quid impediverit."

Idem fere sentiunt de origine notionum.[3]

Ci. d. f. III. 10, 33: „Quomque rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit aut coniunctione aut similitudine aut conlatione rationis, hoc quarto, quod extremum posui, boni notitia facta est. Quom enim ab iis rebus; quæ sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis, tum ad notitiam boni pervenit."

Sen. ep. 120, 3: „Quidam, inquit, aiunt nos in notitiam incidisse, quod est incredibile, virtutis alicui speciem casu occurisse. Nobis videtur observatio collegisse et rerum sæpe factarum inter se collatio: per analogiam nostri intellectum et honestum et bonum putant."

Quæ alia similia non ad doctrinam spectant, hæc fere sunt.

Ci. Tusc. V. 50, 117: „Theodorus Lysimacho mortem minitanti: Magnum vero inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es."

Sen. d. tranq. an. 14, 3: „Minabatur Theodoro philosopho tyrannus mortem et quidem insepultam: ‚Habes' inquit, cur tibi placeas. Hemina sanquinis in tua potestate est: nam quod ad sepulturam pertinet, o te ineptum, si putas mea interesse, supra terram an infra putrescam."

Taurus Phalaridis.

Ci. Tusc. V. 31, 87: „Sequetur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita cumque ea descendet in taurum."

---

[1] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 284 ss.
[2] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 457 ss.
[3] doctrina Stoica: Zeller, III. 1. p. 70 ss.

Ci. Tusc. V. 26, 75: „et clara voce audeant dicere beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram."

Sen. ep. 66, 18: „Epicurus quoque ait sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: dulce est et ad me nihil pertinet."

Posidonii dictum.

Ci. Tusc. V. 2, 5: „Est autem unus dies bene et ex præceptis tuis actus immortalitati anteponendus."

Sen. ep. 78, 28: „Posidonius ait": „Unus dies hominum eruditorum plus patet quam imperitis longissima ætas."

„Virtus funditur."

Ci. d. f. III. 15, 47: „Sed quamquam negant nec virtutes nec vitia crescere, tamen utrumque eorum fundi quodam modo et quasi dilatari putant."

Sen. ep. 74, 28: „Modo latius virtus funditur, regna, urbes, provincias temperat..."

„degustare": i. e. leviter, primis labris gustare.[1]

Ci. Tusc. V. 21, 61: „‚Visne igitur' inquit o Damocle, quoniam te hæc vita delectat, ipse eam degustare et fortunam experiri meam?"

Sen. ep. 33, 5: „Depone istam spem posse te summatim degustare ingenia maximorum virorum: tota tibi inspicienda sunt."

a) „in rosa dicere," b) „iacere".

a) i. e. violis aut rosis redimitum aut circumfusum dicere.[2]

Ci. Tusc. V. 26, 73: „An tu me in viola putabas aut in rosa dicere."

Sen. ep. 36, 9: „Nemo discit, ut si necesse fuerit, æquo animo in rosa iaceat."

„Illa vox, eorum qui..."

Ci. d. f. III. 19, 64: „Quoniamque illa vose inhumana et scelerata dicitur eorum, qui negant se recusare, quominus ipsis mortuis..."

Cum Cicero ita posuisset „illa", quasi relativum pronomen huic demonstrativo adiuncturus addidit „eorum" et hoc definivit relativi adiectione, quia ad hanc hominum significationem facilius accommodari poterant, quæ subicienda erant (se recusare ipsis mortuis). Ita abundat „illa", nisi quod notam vocem demonstrat.[3]

Eiusdem modi exemplum habemus apud Senecam.

Sen. de const. sap. 9, 5: „Ex hoc puta genere sapientem eorum, qui exercitatione longa ac fideli robur perpetiendi lassandique omnem inimicam vim consecuti sunt."[3]

---

[1] Otto Heine, p. 190.

[2] Kühner, ed. p. 444, cf. Nadoigium, p. 257.

[3] Madvig, p. 460.

„appareant“[1]

Ci. d. f. III. 7, 23: „Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem vivendi data esse appareant.“

Iure miramur, cur sic hoc uno loco Cicero dicere maluerit, quam appareat. Transiit igitur ab impersonali usu ad personalem, ut fecit in passivis quibusdam verbis (velut d. f. V. 58: ut plare, qualia sint intellegantur).[2] Seneca etiam scripsit semel:

Sen. de prov. 5, 1: „apparebunt autem bona esse“.

Aliud quod simile sit non reperitur, præter it, quod libri dialogo sint concepti. Sed Ciceronis dialogi cum Senecæ comparari omnino nequeunt, cum apud hunc non inducantur personæ de aliqua re inter se disputantes, sed solum parce quid contra dicatur.[3]

Priore igitur parte ad finem perducta, transeamus ad posteriorem.

Tractationis pars posterior.

Inquirendum nobis erit in hac tractationis parte hauseritne Seneca ex Ciceronis de finibus tertio et Tusculanarum disputationem quinto libris aut cognovisse eos sit putandus.

Quæ in priore tractationes parte attulimus similia, partim non ita sunt gravia, quibus momentum afferatur ad disputationem, partim nihil aliud iis continetur quam doctrinæ omnibus Stoicis communes, ex quo apparet non proferri posse ex iis argumenta, quibus Senecam e fontibus hausisse Tullianis doceatur sed ad solvendam quæstionem alia ingredienda est via.

Primum igitur comparabimus Ciceronis et Senecæ philosophandi rationem, deinde disseramus de fontibus utriusque, tum penscrutandum erit, quantum Seneca fuerit sciens Ciceronis vitæ et librorum, postremo possitne ex singulis vocabulis quod ad disputationem nostram pertineat colligi.

Aggrediamur ad primam quæstionis partem:

I.

a) De Ciceronis philosophandi ratione.

Cicero se ducibus philosophis Græcorum multum operæ et curæ in philosophiæ studio consumpsisse identidem testatur ipse.[4]

de off. II. 1, 4: „cui [philosophiæ] cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem.“

---

[1] Madvig, p. 386. „appareant“ sic Madvig, Orelli, „appareat“ Otto Heine.

[2] Madvig, l. c.

[3] Hirzel: „Der Dialog“, II. p. 27.

[4] Bernhardt: de Cicerone Græcæ philosophiæ interprete, p. 3. Otto Heine, p. IX.

d. n. d. I. 3, 6: „... et doctissimorum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit et principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus.“

Revera eum sapientium scripta diligenter perscrutatum esse negari non potest, etsi concedendum est, eum in illis cognoscendis minus acutum fuisse suoque iudicio non stare, ita ut homo vere philosophus appellari non possit.[1] Ipse cum bene intellegeret ad singularem philosophandi rationem inveniendam a natura se parum esse instructum, hoc imprimis studuit, philosophiam, quæ usque ad illam ætatem iacuit neque ullum habuit lumen litterarum Latinarum, Latinis litteris illustrare suisque civibus explicare.[2]

Tusc. d. I. 5: „Philosophia iacuit usque ad hanc ætatem nec ullum habuit lumen litterarum Latinarum, quæ illustranda et excitanda nobis est, ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam si possumus otiosi.“

Quod, si viam quam ingressus est in conficiendis libris perspexerimus, facile intellegemus. In una igitur scriptorum parte non quæ ipsi videantur exponit sed cuiusque scholæ doctrinas explicat. Qua in re omnino fere, quæ ad manum erant philosophorum scripta ita secutus esse videtur, ut ipse solum in componendis et explicandis argumentis operam poneret. Qua in re quomodo versatus sit, ipse pluribus locis aperuit.[3]

ad. Att. XII. 52: „Dices, qui talia conscribis? Ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt, verba tantum affero, quibus abundo.“

ad. Att. XIII. 19: „Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν ut Episcurea L. Torquato, Stoica M. Catori, περιπατητικὰ M. Pisoni darem ...

Sunt enim [c. e. Academica] vehementer πιθανὰ Ἀντιόχεια, quæ diligenter a me expressa acumen habent Antiochi, nitorem orationis nostrum, si modo is est aliquis in nobis.“

His igitur locis, sæpe nihil aliud se fecisse, quam ut auctoris verba, Græca Latine redderet, amico libere aperte fatetur.

Etiam in altera scriptorum parte, in qua ipse loquitur, Græcorum vestigia pressit et in singulis philosophiæ partibus unum vel plures duces quos sequeretur, sibi elegit. Ceteros autem scriptores, qui idem argumentum tractaverunt, non prorsus neglexit, sed eos etsi non eandem secuti sunt sectam in consilium adhibuit. Qua in re, quid ipse senserit, se afferre dicit.[4]

d. f. I. 2: „Quæ autem de bene beateque vivendo a Platone disputata sunt, hæc explicari non placebit Latine? Quod si nos non interpretum fun-

[1] Zeller, III. 1. p. 649.

[2] Zeller, III. 1. p. 650.

[3] Zeller, III. 1. p. 650. Hirzel: „Untersuchungen ...“ p. 1. s.

[4] Zeller, III. 1. p. 651. Kühner, Ci. d. ph. merita, p. 91.

gimur munere sed tuemur ea, quæ dicta sunt, ab iis, quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus, quid habent, quod Græca anteponant iis, quæ et splendide dicta neque sint conversa de Græcis?“

Hæ ergo sunt rationes, quibus e Græcis philosophis hausit. Mox eius scripta cum Græcorum intime nexa erant et iugata, mox aliquantum degressus est. Laudem sui iudicii nihil sibi in philosophando præcipue appetit, ut patet ex locis laudatis.[1]

Quæ philosophandi ratio est propria Academicorum, quorum disciplinæ Cicero deditus erat. Quod philosophandi genus semper prædicat semperque illud sectatur.

Tusc. disp. V. 4: „Cuius (Socratis) multiplex ratio disputandi, rerumque varietas et ingenii magnitudo, Platonis memoria et litteris consecrata plura genera effecit dissentientium philosophorum. E quibus nos id potissimum consecuti sumus, quo Socratem usum arbitramur, ut nostram ipsi sententiam tegeremus, errore alios levaremus et in omni disputatione, quid esset simillimum veri, quæreremus.“

Tusc. disp. V. 29: „Utamur igitur libertate, qua nobis solis in philosophia licet uti, quorum oratio nihil ipsa iudicat sed habetur in omnes partes, ut ab aliis possit ipsa per sese, nullius auctoritate adiuncta, iudicari.“

Sed ne iis quidem, quæ a singulis Academicis dicta erant, semper assensit. Sic ipse [Tusc. disp. V. 29] se non probare fatetur difficultates a Carneade contra Stoicos motas de quæstione scientiæ, si in virtute ea omnia, quæ ad beate vivendum opus sint, reperiantur. At ne de eadem re quidem semper idem sentiebat, sed alio tempore se contra sentire posse putavit; immo satis levis est, qui in hac inconstantia glorietur.[2]

Tusc. d. V. 11, 33: „Tu quidem tabellis obsignatis agis mecum et testificaris, quid dixerim aliquando aut scripserim. Cum aliis isto modo, qui legibus impositis disputant, nos in diem vivimus; quodcumque nostros animos probabilitate percussit, id dicimus, itaque soli sumus liberi.“

Probe tenendum est Ciceronem in philosophia nihil novi invenisse sed ea retractavisse, quæ iam a Græcis philosophis tractata essent, neque tamen minus bene meritus est de philosophia, non modo, quod quæ Græci invenerant, transtulit, verum etiam quod linquam Latinam excoluit ad exprimendas philosophiæ notiones.[3] Quod de Socrate philosophiæ parente dicit, ipse fecit apud Romanos: Tusc. d. V. 4, 10: „Socrates autem primus philosophiam devocavit e cælo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et cœgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quærere.“

---

[1] B. Hirzel: „Untersuchungen . . .“ I. p. 3. [2] Zeller, III. 1. p. 664. [3] Kühner, p. 65.

b) De Senecæ philosophandi rationi.[1]

Seneca bene cognovit necessarium esse, ut aliquam sectam sequatur, cui innixus viam philosophiæ ingredi possit.

ep. 95, 59: „Quem admodum folia virere per se non possunt, ramum desiderant, cui inhæreant, ex quo trahant succum: sic ista præcepta, si sola sunt, marcent: infigi volunt sectæ.“ cf. ep. 52.

Cum Stoicorum disciplina propter gravitatem morum maxime sibi apta videretur ad veram sapientiam adipiscendam, se totum huic sectæ applicavit, quod cum sæpius Stoicos appellet „nostros“ eorumque doctrinam maximis efferat laudibus, luce clarius est.[2]

de const. sap. 1, 1: „Tantum inter Stoicos, Serene, et ceteros sapientiam professos interesse, quantum inter feminas et mares non immerito dixerim ... Ceteri sapientes molliter et blande .... Stoici virilem ingressi viam.“

cf. cons. ad Helv. 12, 4. d. clem. II. 5, 3. ep. 83, 9. 113, 1. 117, 1, 6. Attamen sui iudicii esse et ius examinandæ exquirendæque doctrinæ tenere omnino vult.[3]

ep. 33, 11: „Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia? Ego vero utar via veteri sed si propriorem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos ista moverunt non domini nostri sed duces sunt. Patet omnibus veritas.“
ep. 45, 3, 4: „Non enim me cuiquam emancipari, nullius nomen fero, multum magnorum virorum iudicio credo, aliquid et meo vindico.“ cf. ep. 80, 1. d. v. b. 3, 2. ep. 33, 4.

Priorum doctrinas habet quasi bonum et hereditatem communem, ex qua suo quisque iudicio verum eligere et cui sui quoque iudicii summam addere possit.[4]

ep. 64, 7: „Veneror itaque inventa sapientiæ inventoresque: adire tamquam multorum hereditatem iuvat ... Faciamus ampliora quæ accepimus. Maior ista hereditas a me ad posteros transeat.“
ep. 64, 9: „Multum egerunt, qui ante nos fuerunt, sed non peregerunt.“
ep. 33, 4: „Non sumus sub rege: sibi quisque se vindicat.“

Prorsus igitur neglegens se ulli sectæ quasi in servitutem addicere, assensum cohibet etiam a nonnullis Stoicorum præceptis.[5]

ep. 57, 7: „Nunc me putas de Stoicis dicere, qui existimant animam hominis magno pondere extriti permanere non posse et statim spargi, quia non fuerit illi exitus liber? Ego vero non facio: qui hoc dicunt, videntur mihi errare.“ cf. ep. 113.

---

[1] Zeller, III. 1. p. 693—729. [2] Zeller, III. 1. p. 695 annot. 1. Holzherr: „Der Philosoph ..“ p. 27. [3] Zeller, III. 1. p. 698. [4] Holzherr, p. 29. Ribbeck, p. 6. [5] Ribbeck, p. 6.

Quo factum est, ut quæ in aliis sectis vera sibi viderentur et recta non contemneret itaque sæpius Epicuri. Platonis, aliorum dicta adferret iisque adsentiret.[1]

d. v. b. 13, 1: „In ea quidem ipse sententia sum — invitis nostris popularibus (i. e. Stoicis) dicam — sancta Epicurum et recta præcipere."

ep. 16, 7: „Non est, quod mireris animum meum: adhuc de alieno liberalis sum. Quare autem alienum dixi? Quidquid bene dictum est ab ullo, meum est."

cf. d. cst. sap. 15, 4. ep. 8, 8. 33, 2. Hac ratione, qua libat ex omnibus fere disciplinis quodcumque eum maxime specie veritatis movet, propius ad Academicorum sectam, cui Cicero addictus erat, accedit eandemque fere atque Cicero sequi viam videtur, neque tamen fiunt tam sæpe hae digressiones, ut Stoicus, quem ipse, ut supra vidimus, se prædicat, iam appellari non possit, præsertim cum in rebus maximi momenti, quibus ab aliorum philosophorum differt Stoicorum disciplina, hanc semper sequatur.[2]

ep. 2, 5: „Soleo enim et in aliena castra transire non tamquam transfuga sed tamquam explorator."

Quomodo Seneca ex fontibus hauriendum esse censuerit, ipse nobis dicit, qua in re multum interest inter illum et Ciceronem.

ep. 84, 5: „Sed ne ad aliud, quam de quo agitur abducar, nos quoque has apes debemus imitari et quæcumque ex diversa lectione congessimus separare; melius enim distincta servantur. Deinde adhibita ingenii nostri cura et facultate in unum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiamsi apparuerit unde sumptum sit, aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appareat."

ep. 33, 7 s.: „Turpe est enim seni aut prospicienti senectutem ex commentario sapere.... at contra scire est et sua facere quæque nec ad exemplar pendere et totiens respicere ad magistrum.... Aliquid inter te intersit et librum."

Est igitur tenendum Senecam multo magis prædicare quam Ciceronem se esse in philosophando sui iudicii suique iuris. Cicero, qui nihil novi invenit in philosophia, solum homo in rebus philosophiæ bene eruditus potest dici, Seneca autem Stoicorum disciplinam quodam modo mutavit, eius asperitatem lenivit, temporum conditioni aptavit, ita ut revera philosophus debeat nominari. Quamvis ipse Græcos scriptores omnino non neglexerit eosque sæpissime secutus sit, tamen eius scripta non ut Ciceronis e Græcis sunt translata sed revera ingenii monumenta. Nonne licebit inde coniectura colligere, talem virum non consectatum rivulos, sed oblata occasione ex ipsis fontibus hausisse?

De his fontibus in secunda quæstionis parte inquiremus.

---

[1] Zeller, III. 1. annot 1. Ribbeck, p. 6. Holzherr, p. 26.

[2] Holzherr, p. 31.

II.

Quæritur num Seneca ignarus fuerit fontium, ex quibus hauserit Cicero?

De Tusculanarum quinti et de finibus tertii librorum fontibus valde dissentiunt philologi neque tamen nostrum est uberius hac de re loqui sed, quid scripserint de his homines docti, exponere satis nobis esse videtur.

Fontes libri tertii de finibus.

Kühnerus[1] et Carolus Crome[2] volunt disputationem haustam esse ex Zenonis, Chrysippi, Diogenis scriptis. Görenzius et Petersenius[3] vero unum Chrysippum secutum esse opinantur. Unam autem vel alteram partem ab hoc philosopho esse sumptam censent Zellerus[4] et Birtius[5]. Madvigius[6] porro in certa aliqua sententia consistere quidem non potest, sed videtur ei Cicero se applicasse ad Diogenem vel eius discipulos, quasdam vero partes sumpsisse a Chrysippo, Panætio, Posidonio, Rudolfus denique Hirzelius[7] ponit Ciceronem hausisse ex fonte uno, qui fons ei Hecatonis liber videtur esse.

Fontes libri quinti Tusculanarum.

Kühnerus[8] Ciceronem dicit secutum esse Platonem Aristotelem, Theophrastum, Xerocratem, Spensippum, Polemonem, Stoicorum libros. Carolus Crome[9] addit Cleanthem. Bakius[10] suspicatus est in celebri illa philosophiæ laudatione (Tusc. V. 2, 3). Ciceronem imitatum esse Posidonium sed Kühnerus[11] et Carolus Crome[12] deprehendi hic posse putant vestigia eloquentiæ Platonicæ. Zietschmannus[13] tribuit primam partem Posidonio secundam Antiocho, tertiam cuidam Epicureo. Rudolfus Hirzelius[14] ab his dissentit et Ciceronem ex Philone hausisse ostendere conatur.

De Ciceronis igitur fontibus, ut Horatiano utar verbo, adhuc sub iudice lis est. Nostræ partes non sunt hanc controversiam componere, in qua omnis forte ætas quod agat inveniet, sed id maximum nobis est agendum, ut perspiciamus et perpendamus locos, in quibus Seneca de iis loquitur philosophis, quos fortasse Ciceronem secutum esse supra diximus, ut cognoveritne eorum doctrinam et scripta videamus.

Primum igitur de philosophis Stoicis fit quæstio.

Longum quidem est, in adferendis locis verbis quæ scripta sunt ipsis uti neque tamen minus sæpius faciendum esse mihi videbatur, ut qui legerit, ipse eorum vim perspicere possit.

---

[1] p. 105. [2] p. 10. [3] Hirzel: „Untersuchungen“, II. p. 567. [4] Zeller, III. 1. p. 208, annot. 2. [5] Birt: de Halieuticis, p. 87. [6] Madvig: exc. V. p. 838 ss. [7] Hirzel: „Untersuchungen . . .“ II. p. 567. [8] Kühner, p. 114. [9] Carolus Crome, p. 11. [10] Kühner, p. 114. [11] Kühner, p. 114. [12] Carolus Crome, p. 15. [13] Hirzel: „Unters.“ III. p. 468. [14] Hirzel: „Unters.“ III. p. 479.

Zeno Cittieus.

d. VIII. 3, 1: „Hoc Stoicis quoque placere ostendam, non quia mihi legem dixerim, nihil contra dictum Zenonis Chrysippive committere, sed quia res ipsa patitur me ire in illorum sententiam, quam si quis semper unius sequitur non in curia [est] sed in factiosis.“ cf. di. VII. 18, 1. VIII. 1. 4.

Factum narrat ex Zenonis vita: d. B. IV. 39, 1, 2. d. X. 14, 5. cf. d. IX. I4, 3.

N. Qu. VII. 19, 1: ubi „Zenonis nostri“ de stellis cometibus sententiæ assentitur. cf. d. B. VII. 8, 2.

ep. 104, 21: „... cum Socrate, cum Zenone versare: alter te docebit mori, si necesse erit, alter antequam necesse erit.“ cf. ep. 33, 4, 7, 9. 64, 10. 104, 21. 108, 33.

di. VIII. 6, 4 ss.: „Nos certe sumus, qui dicimus et Zenonem et Chrysippum maiora egisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent... Ad summam quæro, an ex præceptis suis vixerint Cleanthes et Chrysippus et Zenon. Non dubie respondebis, sic illos vixisse, quemadmodum dixerant esse vivendum... Ergo nihilominus hi multum egisse visi sunt, quamvis nihil publice agerent.“ cf. d. IX. 1, 10. XII. 12, 4.

d. XII. 12, 4: Unum fuisse Homero servum, tres Platoni, nullum Zenoni, a quo cœpit Stoicorum rigida ac virilis sapientia satis constat. cf. ep. 22, 11.

d. III. 16, 7. VIII. 3, 2. IX. 14, 3: dicta eius adfert.

ep. 83, 9—11: oppugnat sententiam Zenonis de ebrietate et vituperat eum, quod ambiquitate verbi quæsierit locum fraudi. Ceteri post Zenonem Stoici aliter hac de re sentiebant, de illa vero Zenonis sententia solus Seneca nobis est testis.[1]

ep. 82, 19: Zenonis interrogationem non probat.

Quibus ex locis Senecam Zenonis vitæ doctrinæque bene fuisse gnarum clare apparet.

Cleanthes Assius.

Seneca bene novit eius vitam.

ep. 44, 3: Cleanthes aquam traxit et rigando horto locavit manus. cf. ep. 6, 6.

Eius dicta adferuntur: d. B. V. 14, 4. VI. 11, 1. 12, 2. ep. 108, 10.

Simul cum Zenone, Chrysippo, aliis nominatur: d. VIII. 6, 5. ep. 33, 4, 7, 9. 64, 10.

ep. 94, 4: „Cleanthes utilem quidem iudicat et hanc partem [c. e. de specialibus præceptis] sed imbecillam, nisi ab universo fluit, nisi decreta ipsa philosophiæ et capita cognovit.“

ep. 113, 23: Degreditur ab Cleanthis sententia et assentit Chrysippo.

ep. 107, 10 s: Seneca eius versus in Latinum sermonem mutavit.

Chrysippus Solensis,

successor et discipulus Cleanthis. cf. d. VIII. 3, 1. 6, 4. 5. XI. 1, 10. ep. 33, 4. loci sunt supra allati.

---

[1] Hirzel: „Untersuchungen ...“ II. p. 70.

Magnis eum effert laudibus: d. B. VII. 8, 2. ep. 104, 22, d. B. I. 3, 8. 9. vituperat autem eum, quod librum ineptiis repleverit: d. B. I. 3, 8. 9: „Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acumen est et in imam penetrans veritatem, qui rei agendæ causa loquitur et verbis non ultra quam ad intellectum satis est utitur, totum librum suum his ineptiis replet, ita ut de ratione dandi, accipiendi reddendique beneficii pauca admodum dicat, nec his fabulas sed hæc fabulis inserit."

d. B. I. 4, 1: „... Chrysippum, magnum mehercule virum, sed tamen Græcum, cuius acumen nimis tenue retunditur et in se sæpe replicatur. Etiam cum agere aliquid videtur, pungit, non perforat."

Seneca eius vita bene est sciens: ep. 56, 3. d. B. VII. 8, 2. d. VIII. 6, 4, eiusque dicta sæpius adfert et laudat:

d. B. II. 17, 3: „Volo Chrysippi nostri uti similitudine."

d. B. III. 22, 1: „Servus ut placet Chrysippo perpetuus mercenarius est."

ep. 9, 14: „Volo tibi Chrysippi quoque distinctionem indicare. Ait sapientem nulla re egere et tamen multis illi rebus opus esse." cf. d. VIII. 7, 4. d. B. II. 25, 3. ep. 113, 23.

Fr. 46: deridet Seneca præceptum eius.

Solus omnium Stoicorum philosophorum in dialogo nostro de const. sap. Chrysippus nominatur eiusque dictum adfertur:

d. II. 17, 1: „Chrysippus ait quendam indignatum, quod illum aliquis vervecem marinum nominaverat."

Diogenes Babylonius. Chrysippi discipulus.

De hoc philosopho Seneca uno loquitur loco.

d. V. 38, 1: Contumeliam tibi fecit aliquis: numquid maiorem quam Diogeni philosopho Stoico? Cui de ira cum maxime disserenti adulescens protervus inspuit. Tulit hoc ille leniter et sapienter „non quidem", inquit „irascor, sed dubito an irasci oporteat".

Panætius Rhodius. Diogenis discipulus.

Huius nomen aliquoties tantum in Senecæ scriptis reperitur.

ep. 116, 5 s. Eleganter mihi videtur Planætius respondisse ... cf. N. Qu. VII. 30, 2. ep. 33, 4.

Hecaton Rhodius, discipulus Panætii.

cf. d. B. I. 3, 9. ex quo loco patet, Hecatonem multa ex Chrysippi libris transscripsisse.

Eius dicta adferuntur: d. B. II. 18, 2. III. 18, 1. ep. 5, 7. 9, 6. d. B. II. 21, 4: Vituperat Seneca exemplum ab Hecatone positum: „Ineptum et frivolum hoc Hecaton ponit exemplum Arcesilai ..."

ep. 6, 7: „Interim, quoniam mercedem tibi debeo, quid me hodie apud Hecatonem delectaverit dicam: „Quæris, inquit, quid profecerim? Amicus esse mihi."

Posidonius Rhodius, Panætii discipulus.

cf. ep. 33, 4. 108, 38. 104, 22. qui loci sunt supra allati.

Valde laudatur: ep. 90, 20: „Ecce Posidonius, ut mea fert opinio, ex his, qui plurimum philosophiæ contulerunt.“

Sæpe laudat Seneca eius de rerum natura sententias: N. Qu. II. 26, 6. VI. 17, 3. I. 5, 10, 13. II. 26, 4. 54, 1. IV. 3, 2. VI. 21, 2. 24, 6. VII. 20, 24. Assentitur eius dictis: ep. 78, 28: Posidonius ait: „unus dies hominum eruditorum plus patet quam inperitis longissima ætas.“

Non paucos ex eius scriptis adfert locos: ep. 87, 31, 38. 88, 21. 92, 10. 95, 65. 113, 28. 121, 1.

ep. 95, 65: „Posidonius non tantum præceptionem, nihil enim nos hoc verbo uti prohibet, sed etiam suasionem et consolationem et exhortationem necessariam iudicat. His adicit causarum inquisitionem, etymologiam, quam quare dicere nos non audeamus, cum grammatici, custodes Latini sermonis, suo iure ita adpellent, non video. Ait utilem futuram et descriptionem cuiusque virtutis: hanc Posidonius ethologiam vocat, quidam characterismon adpellant...“

Adversatur ei Seneca: ep. 83, 10. 94, 38. 90, 7.

Minoris momenti est quæstio de iis philosophis, qui Stoicorum sectam non sunt secuti. Seneca vero novit etiam horum doctrinam et libros.

Bene perspexerat Seneca Platonis vitam, mores, scripta dicta.

cf. ep. 58, 1. 64, 10. 108, 38. 44, 3. 58, 30, 31. 6, 6. 47, 12. 65, 7—11. 24, 6. 94, 38. d. B. III. 32, 3. V. 75. VI. 11, 1. VI. 18, 1. di. XII. 12, 4. VI. 17, 5. IV. 21, 10. V. 12, 5—7. VII. 18, 1. 27, 5. V. 12, 5—6. VI. 23, 2. Novem ex eius libris adfert locos: d. III. 6, 5, 19, 7. IV. 20, 2. IX. 17, 10. d. B. 33, 1. N. Qu. 18, 16. ep. 44, 4. 58, 8. 16—22. Fr. 32, 82.

Idem dicendum est de Aristole, cuius vitæ et eorum inprimis, in quibus de rerum natura agebatur scriptorum. Seneca optime sciens erat.

cf. d. X. 14, 5. V. 17, 1. III. 9, 2. III. 17, 1. V. 31, 1. VII. 27, 5. VIII. 8, 1. X. 1, 2. ep. 6, 6. N. Qu. I. 1, 2. I. 1, 7. I. 3, 7. I. 8, 6. II. 12, 4—6. VI. 13, 1. 14, 1. VII. 5, 4, 5. 28, 1. 2, 3.

Sæpius sermo est de Theophrasto: Er. 41. N. Qu. III. 11, 2—5. 14, 5. 25, 4, 7. 26, 1. IV. 2, 16. VI. 13 1. VII. 28, 3. — de Speusippo: ep. 85, 18. d. V. 12, 6. — de Xenocrate: ep. 85, 18. de Carneade: d. X. 14, 2. — Polemonis vero, Antiochi, Philonis non fit mentio.

Quæ cum ita sint, quis est, qui neget Senecam perfecte planeque perspexisse horum philosophorum doctrinam et scripta? Studiosissimus autem erat priorum Stoicorum imprimis Chrysippi, e posterioribus favebat Posidonio. Multo vero magis sui iudicii esse Senecam quam Ciceronem supra iam vidimns, ex quo deducere licebit eum non ex aquis a Cicerone

turbatis hausisse sed, cum aditus pateret, ad ipsas fontes rediisse. Quod probatur Tusc. d. V. 2, 5, quo loco Cicero adfert dictum sed nomen auctoris minime ponit, Seneca autem dicit hoc esse Posidomi (dictum).

Tusc. d. V. 2, 5: „Est autem unus dies bene et ex præceptis tuis actus peccanti immortalitati anteponendus.“

Sen. ep. 78, 28: Posidonius ait: „unus dies hominum eruditorum plus patet quam imperitis longissima ætas.“

Præterea hoc quoque tenendum est, Ciceronis scripta satis nota fuisse, quæ quin nominaret auctorem posset excerpere. Contra vero Cicero priorum Stoicorum, ut Zenonis et Cleanthis, libris perscrutandis minus studuisse, fortasse ipse ne legisse quidem eos videtur, e posterioribus Panætium, Hecatonem, Posidonium maxime laudat.[1] De unius Chrysippi dicendi genere ita penitus loquitur, ut quin ipse nonnullos eius libros legerit, dubitari non queat.[2] Senecam vero hos de quibus agitur Stoicæ doctrinæ fontes, si usque ad id tempus exstabant, non minus diligenter — ut levissime dicam — quam Ciceronem inspexine ex locis supra allatis satis elucet. Sed eos tum etiam revera exstitisse, testis est Diogenes Lærtius, qui locos ex Zenonis et Chrysippi libris desumptos adfert per singulos versus.[3]

Iam in dialogo de constantia sapientis Chrysippi[4] Stoici libro usus videtur esse, qui constantiæ exempla Herculem et Ulixen posuerat [cf. d. II. 2, 1.], in epistolis vero alios etiam Stoicos, ut Hecatonem et Posidonium secutus est.[5] Quæ igitur similia inveniuntur in his Ciceronis et Senecæ scriptis, tum e similibus Stoicorum sententiis, tum ex eo repeti possunt, quod fortasse eundem sapientem sibi ducem elegerunt, quem fuisse Chrysippum cum demonstrari quidem non possit, tamen aliqua verisimili ratione dici, quoniam Senecam unum ex prioribus Stoicis hoc in libro secutum esse apparet et Ciceronem priores præter Chrysippum non penitus cognovisse est veri simillimum; quod hominum doctissimorum sententiis confirmatur. Senecam autem in dialogo hausisse e Chrysippi scriptis Hirzelius opinatur, Kühnerus vero, Görenzius, Petersenius, Madvigius, Birtius, alii, saltem ex parte in tertio de finibus libro Ciceronem secutum esse Chrysippum censent et affirmant.

Sed etsi Seneca Ciceronis libris fontibus non est usus, tamen cognoverit eos Seneca perlegeritne, percontandum nobis erit. Ad id autem debemus quærere, quantum Ciceronis memoria in Senecæ animo insideat, quod faciemus in parte disputationis tertia.

---

[1] Zeller, III. 1. p. 649, annot. 9.
[2] Otto Heine, p. 17 s.
[3] Birt: „Das antike Buchwesen“, p. 212.
[4] Hirzel: „Untersuchungen . . .“ II. p. 307, 308 annot. 1.
[5] Hirzel: „Untersuchungen . . .“ II. p. 526 annot. 1, 592. Hirzel: „Der Dialog“ II. p. 33

III.
De Cicerone apud Senecam.

Senecam Ciceronis vitam bene cognovisse multis ex locis luculenter apparet, cum non solum eius de republica merita magnis illustret laudibus sed etiam indolem ingenii perlustret animo eiusque res domesticas et privatas habeat bene perspectas.

d. B. V. 17, 2: „Exulavit post Catilinam Cicero, diruti eius penates bona direpta, factum quidquid victor Catilina fecisset.“

Fr. 61: „Cicero rogatus ab Hirtio, ut post repudium Terentiæ sororem eius duceret, omnino facere supersedit, dicens non posse se uxori et philosophiæ pariter operam dare.“

d. VI. 20, 5: „Cicero si concidisset liberata republica servator eius, si denique filiæ suæ funus secutus esset, etiam tunc felix mori potuit.“

d. X. 5: M. Cicero inter Catilinas, Clodios iactatus, Pompeiosque et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, dum fluctuatur cum repuplica et illum pessum euntem tenet, novissime abductos, nec secundis rebus quietus nec adversarum patiens, quotiens illum ipsum consulatum suum non sine causa, sed sine fine laudatum detestatur? Quam flebiles voces exprimit in quadam ad Atticum epistula[1] iam victo patre Pompeio, adhuc filio in Hispania fracta arma refovente? „Quid agam“ inquit „hic quæris? Moror in Tusculano meo semiliber“. Mira deinceps adicit, quibus et priorem ætatem complorat et de præsenti queritur et de futura desperat.“ cf. d. B. VIII. 6, 1. Fr. 61. d. II. 17, 3. IX. 16, 1.

Vituperat etiam Seneca eius compositionem, quamquam eam ad Pollionis comparatam magni habere videtur.

ep. 114, 15 ss.: Quorundam non est compositio, modulatio est, adeo blanditur et molliter labitur. Quid de illa loquar, in qua verba differuntur, et diu exspectata vix ad clausulas redeunt? Quid illa in exitu lenta, qualis Ciceronis est, devexa et molliter detinens nec aliter quam solet ad morem suum pedemque respondens? . . .“

ep. 100, 7. s.: „Lege Ciceronem: compositio eius una est, pedem servat lenta et sine infamia mollis . . . denique omnia apud Ciceronem desinunt, apud Pollionem cadunt. . . . Adfer, quem Fabiano possis præponere. Dic Ciceronem . . .

Gellius etiam magna cum ira refert Senecam vituperasse Ciceronem, quod ei Ennii quidam versus placuissent.

cf.: Fr. 61. [Gell. N. Att. XII. 2.] . . . „Postea hoc etiam addidit insulsissime: „Apud ipsum quoque, inquit, Ciceronem invenies etiam in prosa oratione quædam, ex quibus intellegas illum non perdidisse operam, quod Ennium legit.“

---

[1] epistula hæc interiit.

Ponit deinde quæ apud Ciceronem reprehendat quasi Enniana, quod ita scripserit in Republica: „ut Menelao Laconi quædam fuit suaviloquens iucunditas“ et quod alio loco dixerit „breviloquentiam in dicendo colat“. Atque ibi homo nugator Ciceronis errores deprecatur, et: „non fuit, inquit, Ciceronis hoc vitium sed temporis. Necesse erat hæc dici, cum illa legerentur.“ Deinde adscribit Ciceronem hæc ipsa interposuisse ad effugiendam infamiam nimis lascivæ orationis et nitidæ.“

Sed cogitandum nobis est, Senecam hac in re Ciceronis quasi adversarium fuisse, cum suis temporibus duæ essent inter scriptores partes,[1] quarum priores secutæ sunt Senecæ scribendi genus, posteriores Ciceronis, quo factum est, ut illo multo maiorem se putaret Seneca, qui non solum Ciceronis scribendi rationem vituperabat sed etiam eius carmina deridebat, quamquam ipse fatetur, se in convertendis versibus Græcis secutum esse illius exemplum.

d. V. 37, 5: „... et Cicero, si derideres carmina eius, inimicus esset.“
ep. 107, 10: „... Si placuerint [versus], boni consules. Si displicuerint, scies me in hoc secutum Ciceronis exemplum.“

Magnam tribuit laudem Ciceroni, quasi patri eloquentiæ apud Romanos.

ep. 40, 11: „Cicero quoque noster, a quo Romana eloquentia exsiluit, gradarius fuit.“

N. Qu. II. 56, 1: „Hoc apud Cæcinnam invenio, facundum virum et qui habuit aliquando in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset.“

Ciceronis epistulas, quamvis sæpe de rebus inanibus in iis instituatur sermo, magni dicit Seneca ponderis sibi videri.

ep. 9, 4: „Nomen Attici perire Ciceronis epistulæ non sinunt... inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum adplicuisset.“

ep. 118. 1. s.: „...Nunquam potest deesse, quod scribam, ut omnia illa, quæ Ciceronis implent epistulas transam: quis candidatus laboret, quis alienis, quis suis viribus pugnet. Quis consulatum fiducia Cæsaris, quis Pompei, quis arcæ petat. Quam durus fenerator sit Cæcilius, a quo minoris centesimi propinqui nummum movere non possint.“ cf. ep. 97, 4. d. X. 5, 2. ep. 49, 5.

Ciceronis verba: „opitulari“ „cavillationes“ „essentia“, de quibus infra disputabimus adfert Seneca: ep. 17, 2. 58, 6. 111, 2.

De Ciceronis, in quibus de philosophia agitur, scriptis solum de republica librum laudat, quo loco fit manifestum, quam accurate diligenterque perscrutatus sit hunc librum, cum, quo diverso modo philosophus, philologus, grammaticus legant, explicet et disserat.

ep. 100, 9: „Dic Ciceronem cuius libri ad philosophiam pertinentes pæne totidem sunt, quod Fabiani.“

[1] Eduard Norden: „Antike Kunstprosa“ I. p. 307.

ep. 108, 30 ss.: „Cum Ciceronis librum de republica prendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiæ deditus, alius alio curam suam mittit: philosophus admiratur contra iustitiam dici tam multa potuisse. Cum ad hanc eandem lectionem philologus accessit, hoc subnotat: duos Romanos reges esse ... Eosdem libros cum grammaticus explicuit, primum verba expressa, reapse dici a Cicerone, id est reipsa in commentarium refert."

Cum his locis Senecam Ciceronis vitam et scripta optime cognovisse appareat atque exstet, non audacius videtur esse, eum etiam Tusculanas disputationes et de finibus legisse libros colligere, præsertim cum hoc aliis argumentis affirmari possit, de quibus in ea quam nunc adgrediemur quæstionis parte, agendum erit.

IV.
De vocabulis, quæ ex Ciceronis libris philosophicis Seneca deprompserit.

Cicero enim cum philosophiam tractare instituisset et patrium sermonem subtilitate philosophandi non sufficere videret, necessitate coactus vel ad nova vocabula facienda vel ad usitata verba transferenda et immutanda adductus est.[1] Pluribus locis, quod nova nomina fabricetur se excusat.

d. fin. III. 15, 51: „illud quod Zeno προηγμένον nominavit, cum uteretur in linqua copiosa factis nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi linqua non conceditur."

d. fin. III. 2, 5: „Quodsi in ea linqua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur: quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere?"

Duas leges hac in re et ipse præscripsit et diligenter observavit, quorum prior est, ut res plane intellegatur, altera ut verborum suavitatem studiose quærat. Sæpe unum verbum pluribus Latinis est interpretatus, ita ut verbum Græcum explanaret potius quam transferret."[2]

d. fin. III. 4, 14 s.: „Unum istud, quod honestum appellas, rectum laudabile, decorum — erit enim notius, quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus ... si Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, cum sit verbum, quod idem declaret, magis usitatum; equidem soleo etiam, quod uno Græci, si aliter non possum, idem declarantibus verbis exponere."

---

[1] Bernhardt, p. 10.
[2] Benno Linderbauer, II. p. 4.

d. fin. III. 16, 52: „Re intellecta in verborum usu faciles esse debemus."

Ex iis, quæ afferemus, exemplis apparebit Ciceronem quidem plerumque, cum verbum Latinum ad alienam significationem transfert, ut Græcum interpretetur, primo loco addere particulas „quasi" „quidam". similes; et cum vocabulo Græco utitur nondum usitato, interpretatione Latina addita excusare, sed nequaquam hanc rationem semper sequitur.[1] Ut ceteri post Ciceronem philosophi hac in re cum secuti sunt, ita Senecam quoque videmus sæpe usum esse verbis a Cicerone primo in linquam Latinam receptis.[2] Seneca se hoc fecisse ipse fatetur:

ep. 17, 2: „Pervides ... quemadmodum (philosophia) et in maximis ut Ciceronis utar verbo ‚opituletur' et in minima descendat."

ep. 58, 6: „Non celabo te: cupio, si fieri potest, propitiis auribus tuis ‚essentiam' dicere, si minus dicam et iratis. Ciceronem auctorem huius verbi habeo, puto locupletem."[3]

ep. 111, 2: „Aptissimum tamen videtur mihi, quo Cicero usus est: cavillationes vocat, quibus quisque se tradidit, quæstiunculas quidem vafras nectit, ceterum ad vitam nihil proficit."[4]

Nobis vero de iis solum verbis est sermo, quæ in Tusculanarum disputationum quinto et de finibus tertio libris inveniuntur:

decretum.

Sæpius Cicero vocabulum „dogma" interpretatur latino decretum.

Tusc. V. 29, 84: „Hoc præclarum quasi decretum."

Sen. ep. 94, 2: „... Ad illam habentem præcepta plurimum ait proficere ipsa decreta philosophiæ."

Sen. ep. 95, 10: „Præterea nulla ars contemplativa sine decretis suis est, quæ Græci vocant dogmata, nobis vel decreta licet appellare vel scita .vel placita." cf. ep. 94, 4. 8. 13. 31. 32. 48. 95, 9. 34. 46. 58. d. VIII. 3, 1.

elementum

Στοιχεῖα appellavit elementa.

Cic. d. f. III. 5, 19: „sunt quasi prima elementa naturæ."

Sen. ep. 89, 16: „... gradus: corporum locus in hos: primum in ea, quæ faciunt, et quæ ex his gignuntur: gignuntur autem elementa." cf. ep. 117, 23. 89, 10. 95, 12. 88, 20.

---

[1] Benno Linderbauer, II. p. 34.

[2] Hirzel: „Untersuch. . . .", II. p. 542, annot. 2.

[3] verbum „essentia" in Ciceronis scriptis non reperitur.

[4] Benno Linderbauer, p. 41. dicit: „quod verbum ‚cavillatio' in eis libris qui extant, non reperitur." At. cf. Cic. d. or. 2, 54, 218: „illa a veteribus superior cavillatio, hæc altera dicacitas nominata est."

productum.

d. fin. III. 15, 51 s.: „Hinc est illud exortum, quod Zeno προηγμένον contraque quod ἀποπροηγμένον nominavit... ut enim nemo dicit in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem, id enim est προηγμένον... ea, quæ secundum locum obtinent προηγμένα, id est producta nominantur."

Sen. ep. 74, 16 s.: „... proprietas in illis boni non est. Itaque commoda vocentur, et ut nostra linqua loquar, producta."

commoda, incommoda.

d. fin. III. 21, 69: „Incommoda et commoda, ita enim εὐχρηστήματα et δυσχρηστήματα appello."

Tusc. d. V. 41, 120: „... quæcumque bona Peripateticis, eadem Stoicis commoda viderentur..."

Sen. ep. 87, 29: „Intér commoda illas [divitias] numeratis. Atqui eadem ratione ne commodum quidem erunt. Per illas enim multa nobis incommoda eveniunt." cf. ep. 87, 30. 36. 37. 92, 16. 71, 5. 72, 5. d. I. 3, 2.

Indifferens, medium.

d. fin. III. 16, 53: „Quoniam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus, necesse est, nec bonum esse nec malum hoc, quod præpositum vel præcipuum nominamus. Idque ita definimus, quod sit indifferens cum æstimatione mediocri; quod enim illi ἀδιάφορον dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem, neque enim illud fieri potuerat ullo modo, ut nihil relinqueretur in mediis."

d. fin. III. 18, 59: „... in iis, quæ media dicamus..." cf. d. fin. III. 17, 58.

Sen. ep. 82, 10: „... ex eo natam, quod mortem inter indifferentia ponimus, quæ ἀδιάφορα Græci vocant."

Sen. ep. 82, 14: „... quæ a nobis indifferentia ac media dicuntur." cf. ep. 117, 9. 82, 15. 109, 12. 94, 8. 66, 36.

officium.

d. fin. III. 6, 20: „Primum est officium id enim appello καθῆκον..."

d. fin. III. 17, 58: „Sed cum quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus, consentaneum est fungi officio.... Est autem officium, quod ita factum est, ut eius facti probabilis ratio reddi possit.... Quod autem ratione actum est, id officium appellamus."

Sen. ep. 120, 2: „Honestum putant, cui ratio recti officii constat, tamquam pie curatam patris senectutem..." cf. d. B. II. 2. ep. 92, 35. 95, 52 s.

honestum.

quo verbo Cicero semper interpretatus est τὸ καλόν.[1]

d. fin. III. 4, 14: „Unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum... aut si nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum..."

[1] cf. Zeller, III. 1. p. 664.

Sen. d. B. V. 12, 5: „Unum est apud nos bonum honestum.“

Sen. ep. 66, 16: „Nam si, quæ extra virtutem posita sunt, aut minuere illam aut augere possunt, desinit unum bonum esse, quod honestum est.“ cf. ep. 74, 30. d. B. IV. 1, 3. 9, 3. 16, 2.

convenientia.

d. fin. III. 6, 21: „. . . bonum quod positum sit in eo, quod ὁμολογίαν Stoici, nos appellemus convenientiam.“

Sen. ep. 74, 30: „Virtus enim convenientia constat.“

perturbatio.

d. fin. III. 10, 15: „Nec vero perturbationes animorum . . . quas Græci πάθη appellant. . . . At illi dicunt πάθος, sit igitur perturbatio . . .“

Sen. ep. 66, 17: „si malum iudicat, perturbationem recepit.“

Sen. ep. 74, 30: „Quid ergo? Non aliquid perturbationi simile patietur.“ cf. ep. 66, 45. 100, 2.

indolentia

quod verbum novum fabricatus est, ut ἀναλγησίαν interpretaretur.[1]

Ci. Tusc. d. V. 30, 85: „indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit.“

Sen. ep. 66, 45: „. . . dolore corpus caret: quid ad hanc accedere indolentiam potest?

Sen. ep. 87, 19: „Itaque indolentiam nunquam bonum dicam: habet illam cicada, habet pulex.“

Quibus locis, ut mihi quidem videtur, verisimillimum esse comprobatur Senecam tertium saltem de finibus librum legisse ex eoque, quæ supra attulimus, sumpsisse verba. Et quouiam non erat in animo de illis quoque disserere verbis, quæ e reliquis Ciceronis petita sunt scriptis, rem quam nobis proposuimus totam, ut ego arbitror, persecuti sumus.

Postquam igitur et ea, quæ similia inveniantur e similibus repetenda esse vidimus Stoicorum sententiis et cognovimus argumenta, quibus doceatur Senecam secutum esse Ciceronem, ex iis similibus duci non posse, alienum non esse videbatur ostendere, quanam via et ratione Cicero et Seneca disputaverint de sapientia. Qua ex disputatione cum hoc effectum esset, ut Senecam magis quam Ciceronem suam ipsius auctoritatem secutum esse putaremus, quærendum esse nobis visum est, cognoveritne Seneca ex quibus hauserit Cicero litterarum fontes. Atque illud quidem, ut mea fert opinio, tenendum est, Ciceronis libris illum plane neglectis ad ipsos, ut ita dicam, fontes Stoicos rediisse. Tertia iam disputationis parte, qua Senecam Ciceronis vitam, mores, ingenium, scripta

[1] Krebs: Antibarbanus s. v.

bene cognovisse ostendimus et quarta, in qua vocabula tractavimus, eo adducti sumus, ut tertium saltem Senecam de finibus librum legisse crederemus.

Ut paucis igitur, quæ diximus, complectamur verbis, hæc probabili quadam coniectura tenenda esse videntur, ut Senecam etsi Ciceronis libris usus non est quasi fontibus,[1] ex quibus hauserit sapientiæ præcepta, tamen eos diligentissime perlegisse ex iisque verba a Cicerone novata in suum usum sumpsisse putemus.

---

[1] Attamen Senecam etiam Ciceronis libris, in comparando saltem quasi fontibus esse usum, ex his, qui sequuntur, locis, suspicari possumus.

Ci. d. f. V. 24, 71: „Illa enim, quæ sunt a nobis bona corporis numerata complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita ut sine illis possit beata vita exsistere. Ita enim parvæ sunt istæ accessiones bonorum, ut quemadmodum stellæ in radiis solis sic istæ in virtutum splendore ne cernantur quidem."

Sen. ep. 92, 5: „Antipater quoque inter magnos sectæ huius auctores aliquid se tribuere dixit externis, sed exiquum modum. Vides autem, quale sit, sole te non esse contentum, nisi aliquis igniculus adluxerit? Quod potest in hac claritate solis habere scintillæ momentum?"

Sen. ep. 92, 17: „Paulo ante dicebam igniculum nihil conferre lumini solis. Claritate enim eius quidquid sine illo luceret, absconditur . . ."

Sen. ep. 92. 24: „Virtus enim tantum bonum est, ut istas accessiones minutas non sentiat, brevitatem ævi et . . ."



Jahresbericht über 1901/1902.

(Schulnachrichten.)

I. Stand des Lehrkörpers, Fächer- und Stundenverteilung.

